Panegyrici in

VICTORIAM ILLV-

strissimæ D. MARIAM, *Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginam, &c.*

ITEM

In Coronationem eiusdem Serenissi. Reginæ, congratulatio.

AD HAEC

De sacrosancta Eucharistia Carmen.

D. IOANNE SETONO *Authore.*

LONDINI,

ANNO DOMINI, M. D. LIII.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

58-373,4

Illustrissimę Mariæ,

Angliæ, Franciæ & Hiberniæ

REGINAE. &c.

Armina quædam de veritate corporis CHRISTI in sacrosancta Eucharistia ante aliquot menses in ſuma rerum turbine, & veræ religionis (penè dixerim) euersione conscripsi, cum oblati fuerant Articuli quidam, omnia ferè Sacramenta nobis eripientes, quę ad Academiam, aliosq; alibi literatos viros missi, non alio nomine, quàm vt quod esset in eis castigatione dignũ, statim emendaretur. Nam si in signis ac imaginibus pingendis, ne vulgi quidem iudicium contempsit artificiosissimus pictor Apelles, quantò in hac re literaria, eruditorum censuram minus me respuere oportet?

At dixerit hic fortasse aliquis, extare de Eucharistia libros exquisita eruditione, etiam nostro hoc seculo à grauissimis theologis, & summa authoritate viris contra hæreticorum fallacias æditos, qui uel doctissimè hanc rem pertractant, et minutissima quęq; adamussim excutiunt. Hoc me non latere confiteor: Verumenimuero carmina longè rem maiori compendio complectuntur, & quasi in angustum constringunt, adeò, vt tum facilius ab omnibus memoriæ mandari, tum diutius retineri pos-

sint. Hæc igitur si sub augustissimę Maiestatis tuę nomine euulgari patiaris, abundè satis magnum laboris mei præmium uidear adeptus. Sed & his alia pauca præfixi, ex eadem officina nostra nuper egressa, quę itidem, quoniam verissimas meritissimasq; celsitudinis tuæ laudes propius attingunt, sub eadem Maiestatis tuę tutela impẽsè nimis exire desyderant. Aliud si quid vnquam mihi imperaueris, nihil profectò (quod ferre possunt hi humeri) pro mea in Maiestatem tuam obseruantia, recusabo. CHRISTVS opt. max. Serenissimam amplitudinem tuam q̃ diutissimè, precor, huic Regno incolumem, ac in summo honore florentem, conseruet.

Tuæ nobilissimę & verè Regiæ maiestatis studiosissimus

Ioannes Setonus

TRIVMPHVS MARIAE Reginę Angliæ, Franciæ & Hiberniæ, de Ioanne Dudlæo duce Northumbriæ.

VIta Timor tremulus, ſed plura Amor efficit ardens,
Nam uetus & uerum eſt, Omnia uincit Amor.
Sunt duo ceu ſatrapæ, belloq; & pace potentes
Eſt in utroq; tamen maior honeſtus amor.
Pertrahimur fido ad uirtutem maximè amore,
At timor haud raro trudit ad illicita.
Inter ſeſe igitur quoties pugnantia ſuadent,
Concedit tandem uictus amore timor.
Carminibus paucis quid poſſit uterq; uiciſsim,
Commonſtrare libet, quòad ferat ingenium.
Algidus iſte Timor uario ex phantaſmate ſurgens,
Eſt impendentis ſollicitudo mali.
Summo in ſupplicio ſpes eſt quaſi uita timori,
Quæ propè ſunt, urgent dira, remota minus.
Hic quoties oritur, ſenſim præcordia tentat,
Hinc renes ſtringens, ſingula membra quatit.
Pallorem inducit, quaſi morbis extenuato,
Qualemq; extinctum corpus habere ſolet.

Aſpera

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Aſpera multa iubet, multa imperat abſona factu,
Atq; hæc ui multa nititur efficere.
Eſt ferus, immitis, uiolentus & imperioſus,
Aſper, crudelis, ſanguinolentus, atrox.
Diſſimulat, uultumq; ſibi permittit amici,
Cum tecta quadrat mente loquela parum.
Labitur inſtabilis, perſtare diu nequit, imò,
Si res mutentur, terga dat, atq; fugit.
Se tandem prodit, ſocios retegendo malorum,
Aut proprium penitus uituperando nefas.
Adde quòd inuitè fiunt quæ facta timore,
Pauca quidem rectè, ſed malè multa facit.
Aſt AMOR *inſignis ſynceri affectio cordis,*
Ceu Rex, affectus quoſlibet exuperat.
Eſt huius multò tum uis, tum gratia maior,
Quippe ſuis ſemper quærit agitq; bonum.
Abſentis meminit non turpis nomine lucri,
Sed quòd pergratum eſt, quicquid amicus amat.
Optat & odit idem, pariter gaudetq; doletq;,
Oblitusq; boni eſt, officijq; memor.
Hic generoſus Amor de pectore naſcitur imo,
Cuncta replens hilari uiſcera letitia.
Afficit hinc hominis præclaro externa lepôre,
Exhilarat frontem, lætificatq; genas.
Non quærit tenebras, ſed lumine gaudet aperto,
Sponte facit rectè, non ſua iactat Amor.

Eſt

Est ardens, uigilans, mitis, sine fraude dolisq́,
Clemens & blandus, munificusq́ suis.
Procliuus, promptus, uerisq́ paratus amicis:
Affert præsidium & tempore suppetias.
Hos igitur bello quis plurima posse negabit,
Ac ueluti Reges cogere multa uiros?
Se tamen inclinat uictoria dulcis Amori,
Cum timor abscedit, deijciturq́ gradu.
Quos timor inuitos protrudit ad arma gerenda,
Hos acie instructa conciliat sibi amor.
Infœlix operis summa est Timor, ardua mandans,
Fortis amor potis est omnia perficere.
An non Dudlæus multos in prælia traxit,
Quos etiam inuitos misit in arma Timor?
Non bombardæ illi, galeæq́, nec abfuit aurum:
Machina nulla aberat, sed neq́ magna manus.
Hastatis multum turmis fidebat equisq́:
Quid penetrare ualet, quos cataphracta tegit?
Vnguibus Vrsa minax, uexillo expanditur alto,
Fulmine frendet Aper, fauce Dracæna ferox.
Tabifico morsu quem deuoret, Vrsa requirit,
Sanguine repleri cædis auara sitit.
Regibus ex atauis uirgo prognata, uidetur
Præda uenenatis faucibus apta suis.
Dux conclamat io, ferro metuendus & igni,
Nil præter mortem, suppliciumq́ crepat.

Restibus

Restibus impleuit plaustrum, furcasq; minatur,
Horrorem ut multis incuteretq; metum.
Audacem uel opes uel tanta potentia reddit,
Promittit spolium præmia militibus.
Hurdlstoni pergens combusit nobilis ædes,
Mox, ait, expectet quisque inimicus idem.
Impietate furit, regnandiq; ambitione,
Quosq; licet fidos suspicione premit.
Quum tamen est frustra multis permulta minatus,
Cuncti pene ferum deserere Ducem.
Amplius exosum defendere quique recusant,
Certatim produnt quem coluêre metu.
Scitè, quem metuunt odêrunt, Ennius inquit,
Quemq; timent multi, disperijsse uolunt.
Quid multis? cernens quàm sit congressibus impar
Virginis, exclamat, præq; pudore stupet.
Aut ego prodor, ait, uel me mea facta propinant
Deridendum orbi, ludibrioq; bonis.
Eheu Dux modó eram solio sublimis & ostro,
Seruorum nunc sors infima grata foret.
O spes fallaces, captataq; sceptra ualete,
Vita mihi in dubio est, non diadema modò.
Dum patris exemplo mihi regna parare laboro,
Iustoq; hæredi præripere imperium,
Quæ quondam patris est tepefacta cruore securis,
Mox eadem nostro est deposítura sitim.

Insuper

Insuper exitio sum nostro ex sanguine cretis,
Non has, heu, maculas abluet ulla dies.
Ingemutq; dolis se deceptum hæreticorum,
Dicentum falsò, Plebs tibi tota fauet.
Immò hinc deficiunt, disrumpat ut ilia liuor,
Qui me dignati maximo honore prius.
Quo magis erexi caput, hoc lapsu grauiori
Obruor: hunc finem fastus habere solet.
Proditor hæc patriæ, misero sermone profudit,
Quum nulla uidit parte patere fugam.
Quid faceret? trepidat miser hosti occurrere solus,
Nec ueniam patitur uoce rogare pudor.
Præter naturam petijt quoniam ursa leonem,
Dente Leonino dilaniata iacet.
Quas solet ergo Timor uires in prælio habere,
Dudlæi casus nos monuisse potest.
Hunc contra steterat sine milite Regia uirgo,
Absq; auro ac telis, præsidioq; uiri.
Quæ quoniam patri, regni hæres prima relicta est,
Huius iure manus regia sceptra decent.
Non illi currus, non hastæ, aut machina belli est:
Plus animi uirtus cum pietate placet.
In Christo sita spes, precibusq; pijs, quibus illa
Freta olim à teneris nocte dieq; fuit.
Scit quantum Iudith nacta est, quantū prece Moses
Quum leuat erectas sydera ad alta manus.

Quotidie ſupplex numen cœleſte precatur,
Et noctu hæc fudit uota preceſq; Deo.
Huic ſi præficias me regno (Rector olympi)
Hoc ſine cæde hominum, dextera tua efficiat.
Detur dexteritas regnandi & maſcula uirtus,
Vt liceat longo tempore pace frui.
Et quando paritur ſola uirtute poteſtas,
Da mihi uirtutem, cum pietate pari.
Da leges cultuſq; tui ſeruare decenter,
Et fungi paſsim munera iuſtitiæ.
Schiſmata decedant, uigeat concordia dulcis:
Floreat & pietas ueraq; relligio.
Vendicet antiquum genitrix Eccleſia honorem,
Exulet hæreticus, cum Machumêtegenis.
Vbertim faciant cœleſtia ſemina fructum,
Iunctaq; cum uero creſcat amore fides.
Ciuibus utilitas ſit curæ publica cunctis,
Sit liuor, luxus, iurgia, rixa procul.
Me rerum ſummam congaudeat Anglia nactam
Non uirtute hominum, ſed bonitate Dei.
Perſoluat Chriſto præclara Britannia laudes,
Cuius (quæ pia ſunt) reſtituentur ope.
Hæc crebrò lachrymans, ac tunſo pectore Virgo,
Manè Deum, ſerò, meridieq; rogat.
Incedit munita Dei plebisq; fauore,
Qui ſubito nummos, arma uirosq; parat.

Huc

Huc ex diuerſo armati fluxere gregatim,
Ac quæ pars plebis prorſus inermis erat.
Vix ulli uenter curæ eſt, ſed nec comeatus,
Sponte ſua altri alter ſingula ſuppeditat.
Pabula, frumentumq́, epulæq́, & potus abundat:
Arripuit gratis quilibet arma ſibi.
Virginis aſpiciens uirtutes ac pietatem,
Suppeditat Dominus, multiplicatq́; cibos.
Iam certare manu Reginæ exercitus optat,
Ardentes celeri prælium inire gradu.
Ipſa tamen prudens tentat cohibere furentes,
Temperat & motus uoce manuq́; graues.
Parcite magnanimi: non morte, aut ſanguine lætor,
Non hominum cædes, gratáue pugna mihi.
Non nos ſæua armis, non gens inimica laceſſit,
Dux Anglos in nos uiſcera noſtra mouet.
Hos mihi ius Regni ſine ſanguine conciliabit,
Plebs ex parte mea nobilitasq́; ſtabit.
Fraternó ne iuuat dextras maculare cruore?
Hos animos tentet gens aliena magis.
Si furor impietasq́; hoſtis certamina poſcant,
Augebit uires hæc mora tracta meas.
Hæc, ait, & comitum demulcet pectora dictis.
Concordi paret pectore tota phalanx.
Agmina componit, luſtrat ſtatione manentes,
Inſtruit armatos regia uirgo uiros.

Tam prudens ratio, sermo tam dulcis ab ore
Fluxit, ut imbelles posse animare putes.
Sæpe fugam interea meditatur nocte Tyrannus,
Sed nescit quò se conferat ille miser.
Desperauit opem cunctis inimicus & hostis,
Pœnitet incœpti, pertimuitq; necem.
Conscia mens curis uexatur & anxietate:
Sic timidum sequitur pœna molesta scelus.
Displicet authori proprium scelus, inq; magistrum,
Iudice se, redit: hæc ultio prima mali est.
Dulce mori esset, ait, turpis si infamia abesset.
Heu misero, nunc bis mors obeunda mihi est.
Nec mihi cura mora lentescit, at auctior angit,
Ac somni expertem pectore fixa coquit.
O nati, si nec patris, nec aui exitus idem
Terret, uaticinor, uos grauiora manent.
Ne petat alta meus fuerit quicunq; superstes,
Sit pietatis amans, dissimilisq; patris.
Sæpius hæc mœstus uersabat pectore cœco,
Cum regni ereptam spem uidet atq; fugæ.
Cantabriæ rediens, Regni comprenditur hostis,
Inuisus ducibus, militibusq; suis.
Londini excipitur risu, uariisq; cachinnis.
Nuper terrori, sed modo ludibrio est.
Et quam præsidio munuit milite complens,
Ad Turrim ductus, colla resectus obit.

Debita

Debita crudeli mors est violenta tyranno,
Quiq; alios gladio percutit, ense perit.
Occidit applausu procerum, plebisq; Britannæ,
Dum Mariæ captat uirginis imperium.
Disce ex Dudlæo qui Rex, uel es Induperator,
Aut etiam in multos qui moderamen habes,
Quàm non sit fidus Timor assecla, quamq; fidelis
Verus Amor, custos Regis & Imperij.
Quare quod primò regnantûm infigere menti
Conabar, clarum est, Omnia uincit Amor.

DE EODEM TRIVMPHO.

SAPPHICVM.

Agna Reginæ canimus trophæa
Læta cui uictoria de Tyranno
Contigit diuinitus, absq; bello, &
Militis usu.
Qui modò optabat phalarismũ in
Impiè exercere, iacet repressus *Comnes,*
Virginis uirtute, nimisq; sera
Morte peremptus.
Maius hoc nil nostra uidebat ætas,
Tale maiores nihil ante norunt,
Fundat ut uirgo sine ui, sine armis
Vna tot hostes.
Maximi reges diadema gestant,
Antequam quicquam mereantur ipsi,
Hæc tamen sæuum ante domat Neronem,
Absq; cruore.
Nil Alexander Macedo, Hector, Aiax,
Hannibal, Pyrrhus, neque Cæsar ipse
Tale fecerunt, tamen est eorum
Fama perennis.
Quanta plebi gaudia, quæ uoluptas,
Quanta spes, quantus fuit & triumphus,
Principem quandò Mariam sonabat
Præco canorus?

Ille iactat lætitia galerum,
Fundit hic uinum, ſtruit alter ignem:
Mira res, nummos toties cupitos
Spargit auarus.
O diem feſtum, celebrem, ſerenum,
O mihi lucem meritò colendam,
Tanta qua tum gaudia, tum uoluptas
Contigit Anglis.
Attamen multò fuit hoſte fuſo
Amplior maiorq; bonis uoluptas,
Summa (nec mirum) fuerit uidere
Sceptra tenentem.
Exulabant hinc Charites, Camenæ,
Liquet has Aſtræa Fidesq; terras,
Fugerat fraternus amor, ſed omnes
Iam redière.
Litteræ florent Academiarum,
Iam reuuiſcit pietas pudorq;,
Plebs ſuæ mores ſequitur regentis
Ingeniumq;.
Magna nunc paſſim bona quiſque ſperat,
Ac ut in nummis melior relucet
Vena, ſic & uera fides nitеſcat
Relligioq;.
Sit Dei cultus tibi uirgo curæ,
Eruatur ſtirpitus omnis error,
Cuncta tententur quibus augeatur
Gloria Chriſti.

Non opes, non diuitias, nec aurum,
Non genus, ſed reſpicito æquitatem,
In foro atq; in iudicijs ſit idem
Diues inopsq;.
Iuſta lex cunctisq; feratur æqua,
Viribus nullus locus, aut dolis ſit:
Iudicem mox inueniet ſeuerum
Criminis Author.
Quale ſpectaclum populo Britanno,
Aſſidens uirgo ſolio ſupremo,
Iura dans, regni retinens habenas
Ac moderamen?
Intuebuntur te oculo irretorto
Quiq; mirantes muliebre pectus,
Roboris tantum ingenijq; habere, ut
Cuncta gubernes.
Chriſte qui ueræ es pietatis author,
Qui tuis mandas ſapere unitatem,
Creſcat inter nos fidei unitasq;
Verius amorq;.
Quiq; Regum corda regis, guberna, &
Principem ſerua Mariam Britannis,
Vt diu læti pariter ſub illa
Pace fruamur.

De

DE SOLENNI CORONATIONE SERENISS. D. MARIAE Reginæ Angliæ. &c.

Comica res olim cum spectaretur Athenis,
Aulæis fuerant picta theatra nouis.
Cumq; Ioui fuerat celso certamen olympo,
Ornatum populus protulit eximium.
Exhibuit quoties ædilis scenica Romæ,
Splendebant miris amphitheatra bonis.
At nunc maius opus, festum solennius istis,
Maiori dignum munus honore uenit.
Hæc tibi festa dies luxq; optatissima Brito est,
Qua nulla eluxit clarior Angligenis.
Nam Regina potens, ex Regibus ædita magnis,
Anglorum applausu suscipit imperium.
Suscipit imperium flagranti ardore bonorum,
Quod mox maiori dexteritate reget.
Iam petit emeritam Regni gestare coronam,
Ac solium patris scandere sceptra tenens.
Quin ergo properas Londinum aulæa leuare,
Frondibus urbs festis floreat, atq; domus.
Vestibus ornentur satrapæ squallentibus auro,
Sapphiro, & niteat purpura chrysolitis,

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

Berillus, chalix, adamas, porique pyropus,
Chryſtallum, phrygius, gemma, ſmaragdus, onyx
Chryſites, panchros, carbunculus, unio, iaſpis.
Succina, cenchrites, dactylotheca, taos.
Hæ quid habent bonitatis opes, niſi regibus amplis
Applauſum populi, & nomina concilient?
Luculli chlamydes promentur, gazaque Cræſi,
Illuſtrent ſtratas amphitapeta uias.
Annulus exornet digitos, collumque monile,
Circundet torques pectora pulchra grauis.
Lamina denſa duces, ſolidi & puri tegat auri,
Cuique ſit ornatus ſarcina magna ſuus.
Auro ſpumantes onerentur terga caballi,
Sint plumis freni, cella decora chijs.
Aeriam Pauli turrim uexilla decorent,
Sit ſublime uolans his auis inferior.
Et quibus eſt uenæ uis aurea, carmine docto
Hunc ſtudeant feſtum perpetuare diem.
Ecce uenit clarum, uenit ecce Britannia lumen,
Ornatu inſignis, ſed probitate magis.
Tu qui es ſpectator, cernendo lumina paſce,
Aſpice quàm noſtra hæc Anglia diues opum,
Pontifices, equites, comitesque ducesque, uidenti
Eſſet in hac pompa, Tantalus, Irus inops.
Quis ſtipatorum, magnatum diſce quis ordo,
Luſtra fœmineas lumine deinde choros.

Regina

Regina in medio incedit pulcherrima forma,
Hanc auri pressus pondere portat equus.
Quid referam fasces, enses, quid sceptra, sigillum,
Summa his maiestas concomitata uenit.
A turri passus bis mille feruntur ad aulam,
Vix tribus hoc horis conficietur iter.
Ne celere properet, spectacula grata morantur,
Vt taceam uarijs carmina danda locis.
Excipit ingressam Londinum oratio tersa,
Magnificum tanta munus ab urbe datur.
Diuitias populus stupet, ornatumq; uidere,
Vsqueadeò gemmis quæque platea nitet.
Splendida reginæ multi dant munera passim,
Exultent animi signa dedisse boni.
Quid loquar innumeras glomerantes urbe caterua?
Maxima uix satis est regia nobilibus.
Plures sunt ritus, quàm quos satis ipse recordor,
Dum sancte spondens ungitur illa sacris.
Verus eam potius, q; summus Episcopus ungit,
Qui cum collegis perficit illud opus.
Vna Eduardi, altra est regni, sua tertia fertur,
Est etenim capiti danda corona triplex.
Aureus orbis ei, uirga æqui, & sceptra dabuntur,
Multaq; quæ signant non mediocre decus.
Prandia si cuperem describere, grande opus esset,
Ac quale hos humeros ferre ualere negem.

Luce hac Reginæ magnates mille ministrant,
Officio nullus fungitur alterius.
Est pincerna Comes, structor Comes est itidē, inde
Quanti sunt reliqui, fas tibi conijcere.
Porrò auratus eques cataphracta & casside tectus,
Pro titulo spondet, regis obire necem.
Merx illi mappæ, cælata huic uasa laboris:
Ex prisco agnoscunt præmia quisque libro.
Si regale genus Reginæ ab origine spectes,
Quantis principibus nata sit inuenias.
Rex pater Henricus, Francos, Anglos, & Hiber
Rexit, rex & auus, rex modò frater erat. (nos
Stemmata quid referâmue genus matris Catherinæ,
Quo fulget toto celsius orbe nihil?
Carolus huic genere est materno sanguine iunctus,
Qui tantas gentes sub ditione regit.
Hungariæ regem Romanorumq; silebo,
Ac te regem, huius magne Philippe nepos.
Clarior hæc tamen est pietate ac relligione,
Quàm quòd tum sceptrum, tum diadema gerit.
Hæc etenim claris Reges uirtutibus anteit,
Exuperans summos dexteritate uiros.
Sexus ab hac capiet magnum muliebris honorem,
Fœmineo uirtus corpore tanta uiget.
Publica priuatis postponunt commoda multi,
Diuitijs inhiant, iustitiæ immemores.

Abstrahit à recto nonnullos fœda uoluptas,
Captiuosq; tenens, degenerare facit.
Pauci queis curæ, miseræ sunt commoda plebis,
Quas sibi quæsiuit sanguine Christus oues.
Prospicit inprimis tamen hæc, mandatq; seuerè,
Ne quis ui plebem, aut fraudibus opprimeret.
Ciuica iura dabit, ne cedat uiribus æquum,
Deniq; ne euertat, fráusue dolúsue bonum.
Hæc, spoliata Dei ditabit templa domosq;,
Quæ ueluti, demptis frugibus, horrea erant.
Vera malis uirtus cessit timuitq; uideri,
Angulus interior, uix bene tutus erat.
Huic igitur quantum meritò debetur in æuum,
Quæ duro eripuit colla repressa iugo?
En quantum teneris pietati assuescere ab annis,
Ac uerum præ oculis semper habere Deum.
Hanc tandem Dominus pro consolamine nobis,
Reginam optatam sæpe diuq; dedit.
Hanc, lenimem habes post tempora dura Britanne,
Ne sis perpetuis obrutus usque malis.
Non semper pluuia, aut turbatur flatibus aër,
Est data post multos una serena dies.
Nauita perpetuò nullus iactatur in alto,
Tandem intrat portum, gurgite quassa ratis.
Per graue supplicium meruerunt crimina nostra,
Sed non perpetuò numina sancta præmunt.

Hæreſis hæc fluctus compeſcit ut æquoris æſtum,
Componit gliſcens undiq; diſſidium.
Nubila diſpergens animorum, luce ſerenat,
Quæ turbant, ſedat cum ratione bona.
Quid quæris? regno ſcelus & ſcelerata patrantes,
Quiq; premunt alios, cogit abire procul.
Præmia præclaris uirtutibus addet honorem,
Quippè ſtudent, pauci gratuitò eſſe boni.
Iuſtitia populos optata & pace gubernans,
Digna diu fuerit proſperitate frui.
Quare ne ceſſes dignas perſoluere grates
Chriſto, pro tantis (Anglia) muneribus.
Vota preceſq; Deo fundentur nocte dieq;,
Vt dignum inueniat principe uirgo uirum.
Detq;, precor, Mariæ fructum de uirgine natus,
Vt nos Regali prole piaq; beet.
Deniq; de ſobole hac naſcantur mille nepotes
Moribus & ſimiles matris & ingenio.
Tithoni interea uiuas fœliciter annos,
O Maria, ô uirgo, principe digna uiro.

De ve-

DE VERITATE CORPORIS Christi in Sacrosancta Eucharistia.

ISRAEL *fugiens Memphim transit mare tutò,*
Mergitur armato cum duce Niligena.
Nocte columna ignis lumen præbebat eunti,
Nubisq; effulsit clara columna die.
Cœlitus infido Iudæo Manna dabatur,
Stirps Hebræa cibo pasta erat angelico.
Magna coturnicum uis est concessa in eremo,
Hic de percussa fluxit & unda petra.
Christicolis præter panem nil Christe relinquis?
Sanguine quæsitis & tibi morte crucis?
Duræ ceruicis cur plebs miracula tanta,
Si nihil eximium sponsa fidelis habet?
Pro quibus opprobrium es passus mortemq; nefandã,
Corporis hi sument Symbola nuda tui?
Israëlitas iussit lex esse quotannis,
Agnum paschalem, qui sine labe foret.
Significantior hic cibus est, agniq; perennis,
Quàm frustum panis, clara figura magis.
Si non mutentur specie hæc alimenta manente,
Nostra Palestinùm sors erit inferior.
Crederis omnipotens, patriq; Deo Deus idem,
Sunt cœlo ac terris nulla negata tibi.

Per

Per te cuncta uigent, productaq; singula seruas,
Quæ tellus, aër, quicquid & æquor habet.
Cum patre cœlesti super æthera cuncta gubernas,
Est humeris mundi machina fulta tuis.
Nondum facta pater, quasi sint uocat, essęq; sola
Voce facit, Nato nonne licebit idem?
Cuncta tuo imperio parent, uerboq; creantur,
Cur ergo in cœna sermo uigere nequit?
Solis discipulis stipatus discubuisti,
Quid proprio metuis prodere concilio?
Et quando urgebant propius discrimina mortis,
Abdita credibile est ædere uelle tuis.
Quarè quod reliquo fecisti tempore uitæ,
Credimus hic uires exeruisse Dei.
Præter naturæ legem de Virgine nato,
Gloria in excelsis dia caterua canit.
Thus Deus, aurũ Rex recipis, myrrhamq; sacerdos.
Mox de te Simeon, Anna prophetat anus.
Legem impleturus cum matre profectus in Vrbem,
Audes ipse puer perdocuisse Patres.
Cum freta calcasti, multis in naue tremenda,
Sustinuit Domini mobilis unda pedem.
Mutasti lympham Baccho, morbi genus omne est,
Ac lethi uerbo uincla soluta tuo.
Lazarus assurgit quarta iam luce sepultus:
Teq; iubente, malus spiritus eijcitur.

Quum

Quum tibi perfulget maiestas uertice montis,
Misces cum Helia, Mosęq; consilia.
Os quasi sol splendet, niuis instar candida uestis,
In faciem Petrus, nube tegente, cadit.
Panduntur q; tibi cœli baptisma sacranti,
E nube auditur uox ueneranda Patris.
Dum pateris, fit sol tenebrosus, ruptaq; saxa,
Sancta reuiui scunt corpora multa patrum.
Post mortem porrò loca tendis ad infera lethum,
Ditem, orchum, uitium, mortuus exuperas.
Mortem morte aufers, summũ cruce nomen adeptus:
Iure resurgentũm primitiæ efficeris.
Non animum infernus retinet, corpúsue sepulchrũ,
Tertia lux reducem uidet, & incolumem.
Inter discipulos manducas, fratribus indè
Quingentis uno tempore conspiceris.
Deniq; cœlorum multis spectantibus arcem
Ascendis, proprio numine uictor ouans.
Solum in suprema cessant miracula cœna?
Tantum hic te uires destituere tuæ?
Quarè hic nil uiuus, qui præstas tanta necatus?
Quidue minus dominum mensa suprema sapit?
Cur huc inuitas quos mundi lumina dicis,
Si ferat hinc magnum concio tanta nihil?
Omnis cum fuerit signis tibi uita stupenda,
Mirum uulgaris si tibi cœna placet.

Præstabant Pauli sudaria missa salutem,
Cuius nec. læsit uipera sæua manum.
Aegros umbra Petri sanat, uerboq; Ananian
Sternit, at ista tuo numine fretus agit.
Si tales famuli, quis erit, quantusq; magister?
Quas nobis epulas ultima cœna dabit?
Nec frustrà instituis mysteria tanta sub ipsa
Morte, tui semper nos meminisse uolens.
Corpus adesse tuum peraperta uoce fateris,
Hîc tibi nec dubitat sponsa adhibere fidem.
Hunc cruce fundendum testaris deindè cruorem,
Quo mundi prorsus tollitur omne scelus.
Cuius uel nunquam dolus est inuentus in ore,
Hîc te mendacem credere conueniat?
Mille & quingentos Ecclesia fallitur annos?
Absit, tota errat perditus erro uia.
Est hæc humanæ nobis sacra ancora uitæ,
Est hæc filiolis firma columna suis.
Hæc est arca Dei, cui qui non fixius hæret,
Demonibus stygij fluminis eijcitur.
Attamen usque negant scrutantes omnia sensu,
Posse simul corpus pluribus esse locis.
Verum impossibile est assumptæ & consociatæ
Naturæ humanæ cum deitate nihil.
Te patris à dextra uidit, cœlos & apertos,
In terris Stephanus, cum lapidatus obit.

Postq̃

Postq̃ ascendisti solium regale in olympo,
Quum uisus Paulo es, forma uirilis erat.
Interea cœlum fateatur nemo relictum,
Hic uideare licet qualis & ante tuis.
Vi propria, fateor, nequit euanescere corpus,
Aut oculos subitò fallere suffugiens.
Nec suprà ardentis radios splendescere solis,
Seq̃ suis manibus ferre, alijsq̃ dare.
Corpus at ista tuum uera deitate repletum,
Mirificè effecit, cui nihil arduum erat.
Haud mirum est igitur, qui cœlorum arce receptus,
Hic sit præsentem te facis esse cibum.
Es dare pollicitus panem, tha qui caro uerè est,
Cœtui apostolico conuenit ille cibus.
Quotquot discumbunt pane hic uescuntur eodem,
Qui numero absumi diminuiq̃ nequit.
Hanc cum discipulis edisse libentius escam,
Te cupere instantem fassus es ante necem.
Verum hæc contendunt de lege & paschate quidam,
Vt non de uero corpore dicta putent.
Quid desiderium, quid uult sibi tantus & ardor?
Mensa ubi uulgaris, delitijsq̃ carens?
Quid tanta egisti grates pietate parenti,
Si cœleste dabit mensa suprema nihil?
Præterea uitem posthac gustare negasti,
Mox eadem oblitus pocula deinde petis?

Imò Sacramentum poſt agnum hoc inſtituiſti,
Hinc gemini fuerat mentio facta cyphi.
Qui uitem hic credit pro uero ſanguine poni,
Verè hunc diſcipulis aſſerat eſſe datum.
Non offers igitur liba & carcheſia nobis,
Ethnicus iſta Atheus potat editq; ſacris.
A te aliud quæxit, maiusq; Eccleſia mater,
Nil uulgare ſatis, nil triuiale placet.
Si ſteteris dicto, promiſſa fidesq; ſequatur,
Authorem referet menſa cibusq; Deum.
Si quos dignentur reges conuiuij honore,
Regali inſtruitur menſa ſuperba cibo.
Tu Deus idem & homo, diuinaq; Chriſte propago,
Nulla paras nobis fercula digna Deo?
Quiq; ſolent natis moribundi credere patres
Summum theſaurum, & nobile ſi quid habent.
Tu ſub morte tuis terreſtri è uite Falernum,
Deniq; ſola dares cruſtula uiſceribus?
Non ſic ò miſeri: cœleſti fidite uerbo,
Sub panis forma tecta ſacrata caro eſt.
Verus adeſt itidem uini ſub imagine ſanguis,
His ſolis dapibus plebs ſaturata uiget.
Hæc cruce placauit ſemel oblata hoſtia patrem,
Quam tamen hac menſa quisq; fidelis edat.
Perpetuoq; manet monimentum hæc uictima mortis,
Cuius lex umbras, ſolaq; ſigna tulit.

Iudæi

Iudæi panes ſanctoſq; habuere liquores,
Maiora expectant munera chriſtigenæ.
Accepêre fide Dauid te, omneſq; prophetæ,
Non ut nos carnem dente premente ſacram.
Nec myſteria erant illo patefacta ſub æuo,
Quæ latuêre diu, nunc manifeſta patent.
Poſtq̃ ſol mundo Chriſtus lux uera coreſcat,
Mox cedunt legis nubila quæq; procul.
Lex umbras, Titan nubes, res ipſa figuras,
Significata fugant, ſymbola, ſigna, typos.
Grata tamen Legis Iudæo eſt littera amara,
Pneumatis at nobis grata medulla placet.
Author & interpres ſcripturæ ſpiritus idem eſt,
Qui Chriſti ſponſam myſtica cuncta docet.
Ne te dogma nouum peregrinaq; opinio fallat,
Nec fidas proprio, ſi ſapis, ingenio.
Nam licet hæc nobis crucis hoſtia ſit monumentum,
Attamen his Chriſtus ſub ſpeciebus adeſt.
Ponitur hac menſa cibus idem, Chriſtus & hoſpes,
Ergo uide dapibus quantus habendus honor.
Ne cruda ſtomachus carne offendatur edendo,
Horreſcáſue bibens ſanguinis effigiem,
Conſulit infirmæ naturæ ſympoſiarchus,
Senſibus offertur nota figura magis.
Aſt hîc nec fidas rationi aut ſenſibus, imò
Sanguine guſtato, ueſcere carne Dei.

Hæc pretiosa magis sunt q̄ bellaria regum,
His sponsa unitur sanguis & ossa uiro.
Credidit hæc nobis æterni pignus amoris,
Cum proprio pastor corpore pauit oues.
Quæ genitrix tanto natum dilexit amore?
Lacte suos pascit, sanguine nulla parens.
Imò quis hoc unquam flagrauit amore maritus,
Vt propria uellet, carne aluisse suam?
Vxori cum se non possit linquere sponsus,
Absenti graphicè picta figura uenit.
At Christo non ars, non defuit ulla potestas,
Non erga sponsam defuit ullus amor.
Vndè sui sèse liquit uenerabile pignus,
Qui nos continuò sæpius esus alit.
Illius hoc corpus nostra immortalia reddit,
Hæc caro sumpta fide, cœlica multa feret.
At non sumpta fide tantum, sed corporis ore,
Vt digne accedas, pectoris ima para.
Hanc etenim à reliquis qui non dijudicat escam,
Vescitur indignè sanguinis ille reus.
At quis damnandus uulgaris panis ob esum?
Tantilli gustus uini acheronta meret?
Illotis pedibus legalis cœna dabatur,
Nec iussus quisquam est ante lauare manus.
Sed cum discipulis corpus tradebat edendum,
Peluim, mantile, & poscit Iesus aquam.

Vesti

Veſtibus exutus, mantili pectora cinxit,
Deterſit lotos ordine diſcipulos.
Munere perfunctus, rurſus mantile recinxit,
Depoſitis iterum ueſtibus induitur.
Hæc ergò fecit quando pretioſuus agno,
Commendauit eis inſtituitq; ſuis.
Lotio quid ſignat, niſi Chriſti carnis honorem?
Quam ſolum dignè pectora lota tenent.
Munda animã lachrymis, precibus peccata repurga,
Conceſſas claues crede miniſterio.
Cunctos mortales uero amplectéris amare,
Excute ne lateat pectore triſte uirus,
Nam uario ut panis grano miſcetur in unum,
Vtq; uuis multis uina coacta fluunt,
Sic etiam hæ ſpecies fructus, nos myſtica Chriſti,
Membra unum fieri, & corpus idem eſſe mon̄t.
Hoc corpus ſibi nos connectit, membraq; reddit,
Nos etiam inter nos corpus adunit idem.
Chriſti membra ſumus, diuino corpore paſti,
Et qui participes ſanguinis efficimur.
Commanducatus uiuit, qui morte reuixit,
In terris præſtò, dexter adeſtq; Patri.
Ne dubites, poſſit diuina potentia quiduis,
Obſequium præſtant cuncta creata Deo.
Ne dubites: uerax non nouit fallere quenquã.
Nec ſponſam ſummo luſit in officio.

FINIS.

LONDINI,

Ex officina Reginaldi Wolfij.

ANNO SALVTIS

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE